

guenti nardi pistici pretiosi, & unxit pedes Jesu, & exterit capillis capitis sui. Domus autem, inquit, tota repleta est odore unguenti. Quod utique indicat, quia odor doctrinae, qui procedit de Christo, & sancti Spiritus fragrantia, replevit omnem mundi hujus domum, ac totius Ecclesiae domum. Vel certe replevit omnem domum animae illius, quae odoris Christi suscepit participium, offerens primo fidei suae munus, velut unguentum nardi, & recipiens ex hoc gratiam Spiritus sancti, & spiritualis doctrinae fragrantiam. Quid ergo interest utrum in Cantico Canticorum sponsa perungat unguento sponsum: an in Evangelio discipula magistrum, & Maria Christum: sperans, ut diximus, redire ad se ex hoc unguento odorem verbi, & fragrantiam Christi, ut eo ipso dicat, Christi bonus odor sumus Deo. Et quoniam plenum fide fuit istud unguentum, & pretiosi effectus, ob hoc & Jesus testimonium reddidit ei, dicens: Bonum opus operata est in me. Sic ergo rursus in Cantico Canticorum, post aliquanta amplectitur emissiones sponsae: sicut hic opus Mariae, ait enim: Emissiones tuae paradisus cum fructu pomorum. Cypereus cum nardis. Nardus cum crocis. Amplectitur ergo & in his emissiones ac munera sponsae. Observavimus sane quod in his quae nunc memoravimus pluraliter primo, postmodum singulariter nardum posuit, quod puto secundum illam rationem dictum: quia negotiator regni caelorum, plures primo margaritas negotiatur: usquequo ad unam perveniat pretiosam. Et forte quod dixit: Emissiones tuae paradisus cum fructibus pomorum: illos indicat fructus cum nardis plurimis, quos afferimus ex institutionibus, & doctrina prophetica. Ex doctrina vero ipsius Domini nostri Jesu Christi: emissiones nostrae & munera, non plures habent nardos, sed unam. Sed nunc redeamus ad eam quae dicit, Nardus mea dedit odorem suum: & vide si possumus adhuc etiam hoc in loco intelligere praesenti: quod si quando valuerimus integrè & decenter exponere de deitate Christi, virtutemque ejus ac majestatem dignis assertionibus consignare: tunc fortassis merito dicet, vel Ecclesia illa, vel anima, quae ita manifestè potuerit gloriam ejus exponere, Nardus mea dedit odorem suum. Nec mirum videri debet si Christus, quemadmodum fons est, & flumina aquae vivae de eo procedunt, & quemadmodum panis est, & vitam dat: ita & nardus est, & odorem reddit: & unguentum est, quo qui uncti fuerint, Christi fiant: sicut dicit in psalmo: Nolite tangere Christos meos. Et fortasse secundum illud quod dicit Apostolus: His qui exercitatos habent sensus ad discretionem boni, vel mali: singulis quibusque sensibus animae, singula quaeque Christus efficitur. Idcirco enim & verum lumen dicitur, ut habeant oculi animae quo illuminentur: idcirco & verbum, ut habeant aures quod audiant: idcirco & panis vitae, ut habeat gustus animae quod degustet. Idcirco ergo & unguentum, vel nardus appellatur ut habeat odoratus animae fragrantiam verbi: idcirco & palpabilis, & manu tractabilis, & verbum caro factum dicitur, ut possit interioris animae manus contingere de verbo vitae. Haec autem omnia unum atque idem est Verbum Dei, quod per haec singula affectibus orationis commutatum, nullum animae sensum gratiae suae relinquit expertem. Alligamentum guttae fratruelis meus mihi in medio uberum meorum manebit, sive commorabitur. Eisdem adhuc verba sunt sponsae ad adolescentulas, ut videretur, loquentis. Prius quidem dixerat, quia nardus sua dedisset odorem sponso, & quia per unguentum quo unxerat eum, odoris fragrantiam receperat: nunc autem ait, Fratrenus meus mihi guttam redolet, & hanc non diffusam, neque ut libet dispersam sed colligatam & constrictam: quo scilicet odor ipsius suavitatis densior reddatur & vehementior. Et hic, inquit, cum talis sit, in medio uberum meorum demoratur, & commanet, & requiem ac mansionem suam facit in loco pectoris mei. Verum quod nunc primum cognominavit eum fratrem suum sponsa, & nominis hujus appellatione per totum penè libelli textum frequenter utitur, dignum puto ut prius requiramus appellationis ipsius causam, & quid vel unde fratrenus dicitur, exponamus. Fratrenus appellatur fratris filius. Requiritur quis sit primò frater sponsae, cujus hic filius habeatur: vide si possumus dicere sponsam quidem ex gentibus esse Ecclesiam: fratrem verò ejus, priorem populum: & fratrem, ut res indicat, seniore. Quia ergo ex illo populo Christus secundum carnem nascitur, ob hoc ab Ecclesia gentium, fratris filius appellatur. Quod ergo ait: Alligamentum guttae fratrenus meus mihi: corporae nativitate ejus indicat

sacramentum. Videtur enim quodammodo alligamentum esse, & vinculum quoddam animae corpus: quod alligamentum, gutta in Christo divinae virtutis ac suavitatis astringitur. Si autem ad unamquamque animam quae dicta sunt referuntur alligatura guttae, dogmatum continentiae constrictio, ac divinarum sententiarum nodositas intelligitur. Innexa enim sibi invicem sunt fidei rationes, & vinculis veritatis astrictae. Denique & lex mundum dicit esse omne vas quod alligatum est: immundum verò quod solutum fuerit & non ligatum. Cujus rei haec figura erat, quod Christus, in quo nunquam fuit ulla immunditia peccati, alligamentum guttae dicitur. Et ideo anima non debet contingere aliquid dissolutum, & quod non sit ratione subnixum, & dogmatum veritate constrictum: ne immunda fiat. Qui enim immundum contigerit, immundus erit secundum legem. Contingit namque eum sensus irrationabilis, & alienus à sapientia Dei, & faciet eum immundum. Vide autem si forte Filium Dei in carne guttam dictum, & quasi breve aliquid, & exiguum nominatum possumus accipere, sicut & Daniel de eo dicit: Lapidem parvum de monte excisum sine manibus, & factum post haec montem magnum. Vel sicut in libello duodecim Prophetarum nihilominus gutta quidem futura dicitur, quae congreget populum. Est ergo & in Prophetis ita scriptum: Et erit ex gutta populi hujus congregatus Jacob. Decebat enim eum qui veniebat congregare, non solum Jacob, sed & omnes gentes, quae sicut Propheta dicit: Reputatae sunt tanquam gutta ex situla, exinanientem se divinitatis forma, effici ipsam ut guttam, & sic venire ad congregandam guttam gentium, & gutta nihilominus reliquiarum Jacob. Sed & in quadagesimo quarto psalmo dicitur ad dilectum, cui etiam ipse psalmus ascribitur: Myrrha, & gutta, & casia à vestimentis tuis. A vestimentis ergo Verbi Dei: quae est doctrina sapientiae, procedit myrrha mortis duntaxat indicium, pro humano genere suscepta. Gutta, ut supra diximus, exinanita divinitatis forma servilis formae suscepta dignatio. Casia quoque, quoniam id genus herbae aquis insensentibus nutriti dicitur, & coalescere, redemptionem humani generis per aquas baptismi indicat datam. Sic ergo alligaturam guttae fratrenum suum sponsa tanquam nuptiali dramate loquens, inter medium uberum suorum commorantem dicit. Ubera, ut superius jam diximus, principale cordis adverte: in quo Ecclesia Christum, vel anima Verbum Dei, desiderii sui vinculis alligatum tenet, & alitum. Si quis enim Verbum Dei toto affectu in corde suo, & toto amore constringit, ipse solus poterit odorem fragrantiae ejus, & suavitatis accipere. Botrus cyperi fratrenus meus mihi in vineis Engaddi. Quantum ad litterae ipsius explanationem, habet aliquid ambiguum, quod ait: Botrus cyperi fratruelis mihi: quia & uva florens cyperus appellatur, & species quaedam extrinsecus virgulti est quae cyperus dicitur: ferens etiam ipsa floridum quemdam fructum, in modum florentis uvae prolatum. Sed videtur magis ad fructum vitis respicere sermo, quandoquidem vinearum Engaddi facta est memoria. Engaddum autem ager terrae Judae est: non tantum vineis, quantum balsamis florens. Hic ergo erit historicus sensus sponsae loquentis ad adolescentulas, ut intelligatur dicens, Primò quidem nardus mea odorem mihi sponso mei reddidit. Secundò verò alligamentum guttae effectus est fratrenus meus mihi, demorans inter media uberata mea. Tertio botrus cyperi ex vineis Engaddi, superans omne quicquid est in odoribus, & floribus suavitatis: quo scilicet audientes haec adolescentulae, magis ac magis ad charitatem sponso concitentur & amorem. Idcirco autem singularitatem & per ordinem, primò nardum suam, deinde guttam, post haec etiam botrum cyperi nominat: ut per eos gradus, quosdam profectus doceat charitatis. Sed videamus jam quid spiritualis habeat intellectus. Siquidem hic qui appellatur botrus, ad fructum vitis referendus est: Verbum Dei accipimus, sicut sapientiam & virtutem, & thesaurum scientiae, aliaque multa, ita & vitem veram dicit. Sicut ergo his quibus efficitur sapientia, & scientia, non ad subitum, sed per profectus quosdam & gradus, pro studiis & intentione ac fide eorum, qui ei vel in sapientia, vel in scientia, vel in virtute participantur, sapientes eos, & scientes reddit vigentesque virtutibus: ita & in quibus vitis vera efficitur, non eis ad summum maturos botros producit, & dulces: nec repente eis efficitur vinum suave, & lactescens cor hominis, sed primò producit eis suavitatem tantummodo odoris in florem. Botrus hic florens esse memoratur in vineis Engaddi, ut gratia fragrantiae ipsius immittatur in initiis animae, ut

post haec pati possit acerbiter tribulationum & tentationum, quae propter Verbum Dei credentibus excitantur, & ita demum maturitatis ejus dulcedinem praebet, usque dum perducat eos ad torcularia, ubi effunditur sanguis uvae, sanguis novi Testamenti, qui bibatur in die festo in superioribus, ubi stratum magnum paratum est. Sic ergo per singulos hos profectus graduum incedere oportet eos, qui per sacramentum vitis, & botrum cyperi initiati, ad perfectionem feruntur, & calicem novi testamenti ab Jesu susceptum bibere contendunt. Quod si cyperus sui generis arbor accipiendus est: cujus fructus etiam flos, non tantum odoris suavitatem, quantum & vim calefaciendi ac fovendi dicitur possidere: illa sine dubio accipitur sponso virtus, quae incalcescit animae erga fidem ejus, & charitatem quae contingebat eos, qui dicebant: Nonne cor nostrum erat ardens intra nos, cum adaperiret nobis scripturas? Vel certe quoniam de vineis Engaddi botrus hic florens nominatur esse: Engaddi autem interpretatur oculus tentationis meae: si quis est qui intellectum habere potest, quomodo tentatio est vita hominis super terram: & intelligit quomodo quis in Deo eripitur à tentatione, & qui agnoscit qualitatem tentationis suae, ita ut possit de ipso dici: quia in his omnibus non peccaverit labiis suis coram Deo: huic botrus cyperi de vineis Engaddi efficitur Verbum Dei. Observandum tamen est quod verba sponsae ita referuntur, ut & nardus & alligamentum guttae, & botrus cyperi ipsi soli sint, utpote quae in hos jam profectus ascenderit. Sola enim perfecta anima est, quae ita habet purum & purgatum odoramentum sui sensus, ut possit nardi, & guttae & cyperi ex verbo Dei procedentis fragrantiam capere, & gratiam divini odoris haurire.

## HOMILIA TERTIA.

ECCLEESIA SPECIOSA proxima mea, ecce es speciosa, oculi tui columbarum. Secundò jam sponso cum sponsa in verbo colloquioque miscetur. Et primò quidem sermone invitavit eam ad hoc, ut cognosceret semetipsam, dicens ei quòd bona quidem esset inter mulieres, sed nisi cognosceret semetipsam, certa quaeque pateretur, & quasi quae velociter ad agnitionem sui sensu intellectuque cucurrerit, comparat eam equis suis, vel equitatu, quibus obtinuerit cursum Pharaonis. Simul & genas ejus pro insigni verecundia, & conversationis pernicitate, turturibus comparat: cervicemque ejus, ornamentorum redimiculis. Nunc autem jam speciosam proficitur eam, & speciosam: non sic ut prius in mulieribus tantum, sed quasi proximam sibi, & adhuc in majore titulo laudis extollit & affirmat: quia non tantum cum proxima est ei speciosa sit, sed & si contingat ei absentem esse, etiam sic speciosa sit. Hoc enim indicatur in eo, quòd cum dixisset: Ecce es speciosa proxima mea: addit post haec absolute, & sine ulla adjunctione: ecce es speciosa. Sed in superioribus non laudaverat visum ejus, credo quia nondum ad intuitum profecerat spiritualis intelligentiae: nunc ergo ait, Oculi tui columbarum. Grandis in hoc profectus ejus ostenditur, ut quae prius tantum speciosa in mulieribus dicta est, nunc ut proxima speciosa dicatur, ex ipso sine dubio sponso splendorem decoris accipiens, ut semel ab ipso sumpta pulchritudine, etiam si accidat ei paululum sponso absentiam pati, nihilominus pulchra permaneat. Quòd autem oculi ejus comparantur columbis, ob hoc profectò contingit: quia divinas scripturas, non jam secundum litteram, sed secundum spiritum intelligat, & aspiciat in eis spiritualia mysteria. Columba enim indicium est Spiritus sancti. Spirituali ergo sensu intelligere legem, & Prophetas: hoc est oculos columbae habere. Et hic quidem columbae oculi ejus appellantur. In psalmis vero hujusmodi anima pennas sibi dari columbae desiderat, ut volare possit in intellectum spiritualium mysteriorum, & requiescere in atris sapientiae. Sed & si dormire quis possit, hoc est, collocari, & requiescere in medio sortium, atque intelligere sortium rationem, & cognoscere divini iudicii causas: non solum pennae columbae, quibus in spiritualibus intellectibus volat, promittuntur ei, sed deargentatae pennae: id est, verbi & rationis ornamento decoratae. Scapulae quoque ejus in specie auri fieri dicuntur, ubi constantia fidei, & dogmatum stabilitas indicatur perfectiorum. Ergo si caput esse Christus dicitur, nihil puto absurdum videri, si & oculi eorum, qui secundum interiorem hominem spiritualiter intel-

ligunt, & spiritualiter dijudicant, spiritus sanctus esse dicantur. Et ob hoc fortassis in lege sicut agnus positus est, per cujus hostiam populus purificaretur in pascha: ita & columbae positae sunt quibus purificatur homo, ingressus hunc mundum. Sed & de eo nunc dicere, & hostiarum qualitates discutere, longior videtur excessus, & proposito operi minime conveniens. Haec autem memorasse sufficiat, pro eo quòd praesens sermo continet, Oculi tui columbae: quasi diceret, oculi tui spirituales sunt: spiritualiter videntes, spiritualiter intelligentes. Potest adhuc profundiore fortassis sacramento quòd dixit: Ecce es speciosa proxima mea, intelligi de praesenti saeculo dictum: quia speciosa quidem sit, & hic Ecclesia cum proxima est Christo, & cum imitatur Christum. Quòd verò iteravit & dixit: ecce es speciosa, potest ad futurum saeculum pertineret: ubi jam non solum imitatione, sed ipsa sui perfectione formosa est, & speciosa: & ibi dicat esse oculos ejus columbas, ut duorum oculorum columbae duae, intelligantur esse Filius Dei & Spiritus sanctus. Et ne mireris, si columba simul dicatur, cum uterque similiter advocatus dicatur, sicut Joannes Evangelista declarat, Spiritum quidem sanctum dicens paraclerum, quòd est advocatus. Et de Jesu Christo nihilominus in Epistola sua dicit: Quia ipse sit advocatus apud patrem pro peccatis nostris. Sed apud Zachariam Prophetam duae olivae, ad dexteram & ad sinistram candelabri positae, unigenitum nihilominus, & Spiritum sanctum designare creduntur. Ecce es bonus fratrenus meus: & quidem ecce es speciosus, cubile nostrum umbrosum. Nunc primum videtur attentius inspicisse sponso sui pulchritudinem sponsa, & considerasse illis oculis, qui columbae esse dicti sunt, decus & speciem Verbi Dei. Quia revera non potest prius percipi, nec agnoscere quanta sit in verbo magnificentia, nisi prius oculos quasi columbae, id est, intelligentiam spirituales accipiat. Commune autem cubile sibi quòd dicit esse cum sponso, corpus hoc mihi videtur indicari animae: in quo adhuc posita, digna habita sit affici ad consortium Verbi Dei. Idque umbrosum, utpote non aridum, fed fructuosum memorat, & tanquam densitate boni operis nemosum. Sed haec sponsa dicit, anima duntaxat quae columbae jam oculos habet. Hi verò qui tantummodo credunt sponso, non tamen percipere potuerunt in Verbo Dei, quanta sit pulchritudo, dicunt: Et vidimus eum, & non habebat speciem neque decorum: sed species ejus indecora, & deficiens praeter filios hominum. Quae autem bene profecit, & supergressa est adolescentularum, & octoginta concubinarum, & sexaginta reginarum ordinem: ista anima potest dicere, Ecce es decorus fratrenus meus, & quidem speciosus. Sed & si adhuc in corpore positus intelligam densitatem spirituum sensuum, & intelligentiam scripturarum divinarum tam crebra opacitate contextam, ut rapidior aëtu qui multos folet adurere, & arefacere fructus eorum, me tamen tenebrarum non possit, nec ulla vis tentationum fidei in me gemen arefacere: tunc possum dicere, quia cubile nostrum umbrosum. Quòd autem dicit, cubile nostrum: quasi commune sibi cum sponso corporis sui indicans esse locum, ad illam similitudinem dictum intellige, qua & Paulus dixit: Quia corpora nostra membra Christi sunt. Cum enim dicit, corpora nostra: quasi sponsae id esse corpus ostendit. Cum verò membra Christi memorat, eadem corpora etiam sponso esse corpus indicat. Haec ergo corpora si umbrosa sunt, ut superius diximus, bonis duntaxat operibus referta, & spiritualium sensuum densitate cumulata, de his talibus dici potest: Per diem sol non uret te, neque luna per noctem. Justum namque tentationis sol non adurit, requiescentem sub umbra verbi Dei. Ille enim sol qui adurit justum, non est damnabilis: sed ille magis qui se transfigurat in angelum lucis. Bonus ergo & decorus dicitur fratrenus: & quanto magis inspicere potuerit oculis spiritualibus, tanto speciosior invenitur & pulchrior: quia non solum illius species & pulchritudo mirabilis apparebit: verum & insipienti atque intuenti cum, decus ingens & species formae nova ac mirabilis orietur, secundum illud quòd Apostolus Verbi Dei intuens pulchritudinem dicit: Nam & si is qui foris est homo noster corrumpitur, sed qui intus est renouatur de die in diem. Merito ergo talis haec anima commune habet cubile cum verbo, corpus suum. Pervenit enim divina virtus usque ad corporis gratiam, cum in eo vel castitatis donum, vel continentiae, aliorumque bonorum operum collocat gratiam. Considera sane, ne forte possit etiam illud corpus quòd assumpsit Jesus, commune ei cum sponsa cubile

nominari: quoniam quidem videtur per ipsum Ecclesia Christo esse sociata, & participium Verbi Dei capere potuisse, secundum quod mediator Dei & hominum dicitur, & secundum quod Apostolus dicit: Quoniam in ipso habemus accessum per fidem in spe glorie Dei. Tigna domorum nostrarum cedri, trabes nostrae cypressi. Videtur ab sponso responderi ad gratiam eorum quae dicta fuerunt prius ab sponsa: quibus edoceat eam cuiusmodi sint tecta ista communia, & qualis in eis materia contignationis habeatur. Haec habet historica narratio. Videtur autem Ecclesia describi à Christo, quae est domus spiritualis, & domus Dei: sicut docet Paulus, dicens: Si autem tardius venero, ut scias quomodo te oporteat in domo Dei conversari, quae est Ecclesia Dei vivi, columna & firmamentum veritatis. Si ergo Ecclesia domus Dei est: quia omnia quae habet pater, filii sunt: Ecclesia domus Filii Dei est. Frequenter autem & plurali numero appellantur Ecclesiae, ut ubi ait. Nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesiae Dei. Et iterum scribit Ecclesiae Galatiae Paulus. Et Joannes septem Ecclesiis. Sunt ergo sive Ecclesia vel Ecclesiae, domus sponsi & sponsae, sive animae verbi domus, in quibus tigna sunt cedrina. Legimus etiam quosdam cedros Dei, super quas vinea quae translata est de Aegypto, extendisse dicitur traduces sive arbuta sua, sicut ait in psalmis: Operuit montes umbra ejus, & arbuta ejus cedros Dei. Evidenter igitur per haec, Ecclesia cedri Dei nominatur. Cum ergo dicit sponsus: Tigna domorum nostrarum cedri: intelligere debemus cedros Dei esse eos qui Ecclesiam contignant, & esse aliquos horum validiores, qui trabes appellantur. Et puto quod convenienter hi qui Episcopatum bene ministrant in Ecclesia, trabes dici possunt: quibus sustentatur, & regitur omne aedificium, vel ab imbrum labe, vel ab ardoribus solis. Secundo autem horum loco, tigna presbyteros opinor appellari, & trabes quidem dici cypressos, quibus & fortitudo robustior, & odor suavitatis inest: per quod & in operibus solidum, & in doctrinae gratia fragrantem designat Episcopum. Similiter autem & tigna cedros appellavit, ut per hoc incorruptionis virtutis, & odoris scientiae Christi plenos designaret debere esse presbyteros. Ego flos campi, & lilium convallium: sicut lilium in medio spinarum, ita proxima mea in medio filiarum. Haec ille qui sponsus, & verbum, & sapientia est de semetipso, & de sponsa ad amicos ac sodales suos loqui videtur. Sed secundum propositae expositionis ordinem Christus haec de Ecclesia loqui intelligendus est, & ipse dicere se florem esse campi, & lilium convallium. Campus planities terrae dicitur, cui cultura adhibetur, & excolitur ab agricolis. Convallies vero saxosa magis, & inculta indicant loca. Possimus autem & campum illum intelligere, populum qui per Prophetas colebatur & legem: convallem vero, saxosum & incultum gentium locum. Sponsus ergo hic in Judaeorum populo flos fuit. Sed quoniam neminem ad perfectum adduxit lex, idcirco in illo non potuit Verbum Dei ad florem proficere, & ad perfectionem fructuum pervenire. In ista tamen convalle gentium, effectus est lilium. Cuiusmodi autem lilium? Tale sine dubio, quale & ipse in Evangelis dicit, quod pater caelestis vestit. Et, neque Salomon in omni gloria sua indutus est, sicut unum ex istis. Fit ergo lilium in hac convalle sponsus, in eo quod vestivit eum pater caelestis tali vestimento carnis, quale nec Salomon in omni gloria sua habere potuit. Non enim Salomon habuit absque concupiscentia viri, & concubitu mulieris, immaculatam, & nulli prorsus peccato obnoxiam carnem. Sed & causam cur is qui in campo flos fuerat, voluerit esse in convallibus lilium, videtur ostendere. Cum enim multo tempore flos fuisset in campo, nullum dicit ex ipso campo florem ad imitationem sui ac similitudinem processisse. Ubi vero factus est in convallibus lilium, continuo etiam efficitur proxima ejus imitatione ipsius lilium: ut operae pretium fuerit, quoniam ipse effectus est lilium, ut etiam proxima sua: id est, unaquaque anima quae ei approximatur, & exemplum ejus imitationemque sectatur lilium fiat. Quod ergo ait: Sicut lilium in medio spinarum, ita proxima mea in medio filiarum, accipiemus Ecclesiam gentium dici, quod vel è medio infidelium, & non credentium, quasi ex spinis emerferit: vel pro haereticorum circumstrepentium se morsibus, in medio spinarum posita dicatur. Quod & magis videbitur veri simile, pro eo quod dicit, ita proxima mea in medio filiarum. Non enim filias appellasset illas animas, quae nunquam omnino venerunt ad credendum. Omnes ergo haeretici primo ad credulitatem veniunt, & post haec ab itinere

fidei, & dogmatum veritate declinant. Sicut & Joannes Apostolus in Epistola sua dicit: Quia à nobis exierunt, sed non erant ex nobis. Nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum. Possimus autem, & ad unamquamque animam id referentes, huic quidem animae quae pro simplicitate sui, & planitie vel aequitate campus dici potest, florem fieri Verbum Dei, & initia bonorum operum docere. His vero qui profundiora jam quaerunt, & demersiora scrutantur, quasi in convallibus, vel pro claritate pudicitiae, vel pro fulgore sapientiae efficitur lilium, ut & ipsi fiant lilia erumpentia de medio spinarum, id est, fugientes cogitationes, & solitudines saeculares, quae spinis in Evangelio comparatae sunt. Sicut arbor mali inter ligna sylvae, ita fraternus meus inter medium filiorum. In umbra ejus concupivi & sedi, & fructus ejus dulcis in faucibus meis. Decuit quidem sponsum, & de semetipso dicere, quid esset in campo, quid etiam in convallibus: & de sponsa quae esset, vel qualis inter ceteras filias haberetur. Sponsam vero ad haec respondentem non conveniebat de semetipso aliquid dicere, sed affici totam erga admirationem sponsi, & ipsius laudibus inharere. Comparat ergo eum arbori mali. Sed ne ex similitudine sermonis simpliciores aliqui arborem mali, malam arborem putent, & à malitia dictam, dicamus nos arborem meli, Graeco quidem nomine utentes: sed simplicioribus quibusque latinorum plus notiore quam mali. Melius est enim ut Grammaticos offendamus, quam legentibus scrupulum aliquem in veritatis explanatione ponamus. Comparat eum igitur arbori meli, sodales vero ejus reliquis arboribus sylvae. Sed sponsum ita arbori huic meli similem dicit: ut etiam concupisse se dicat sub umbra ejus sedere, fructumque ejus dulcem sibi effectum in faucibus asseveret: Et haec ad adolescentulas loqui videtur: sicut & sponsus locutus est prius ad sodales suos. Sed nunc videamus secundum mysterium, quos dicat sponsa filios, inter quos tanquam arborem meli praecellere reliqua sylvae ligna asserat sponsum: & vide si possimus secundum ea quae in superioribus de filiabus, & spinis dupliciter exposuimus: ita hic etiam filios, vel eos qui aliquando fuerant & non sunt, vel multitudinem caelestium ministrorum dictos esse intelligere. Ad omnes enim in initio pertinet illud quod scriptum est: Ego dixi dii estis, & filii excelsi omnes. Sed differentia intercessit per hoc quod ait: Vos autem ut homines moriemini, & sicut unus de principibus cadetis. Sed & illud in hoc respicit: quoniam quis in nubibus aequabitur Domino, aut quis assimilabitur ei inter filios Dei? Sicut ergo arbor meli inter reliqua ligna sylvae, sic est sponsus inter reliquos filios, habens fructum, qui non solum sapore omnes, sed & odore praecellat, & duos animae sensus, id est, gultum & odoratum reficiat. Diversis namque copiis mentem suam nobis preparat sapientia: in qua non solum panem vitae apponit, sed immolat carnes verbi: & non solum miscet in cratere suo vinum, sed & mella odorata satis adhibet, & dulcia quae non tantum in ore, & labiis suavitatem reddant, sed & interioribus tradita faucibus dulcedinem servant. Possimus autem ligna sylvae accipere eos angelos, qui uniuersaque haereseos authores fautoresque visi sunt extitisse: ita ut videatur Ecclesia comparans suavitatem doctrinae Christi ad asperitatem haereticorum dogmatum ac sterilem infructuosamque doctrinam dicere, meli quidem suavia & dulcia, esse dogmata Ecclesiastica quae in Christi Ecclesia praedicantur. Ligna vero sylvae esse ea quae à diversis haereticis affirmantur. Et de istis videbitur infructuosus lignis sylvae dici, quod in Evangelio scriptum est: Ecce jam securus ad radicem arboris posita est. Omnis ergo arbor quae non facit fructum bonum, excidetur & in ignem mittetur. Fraternalis ergo sponsae est, ut arbor meli in Ecclesia sponsi: ceteri vero haereticarum tanquam infructuosa ligna sylvae, divino iudicio ut securi excidendi, & in ignem mittendi. Igitur in hujus meli umbra concupiscit sponsa residere: vel Ecclesia (ut diximus) in protectione Filii Dei, vel anima refugiens omnes reliquas doctrinas, & adherens uni soli Verbo Dei: cuius etiam dulcem habeat in faucibus fructum, meditando scilicet indefinenter legem Dei, & semper eam velut mundum animal ruminando. Verum de appellatione umbræ istius, sub qua sedere concupisse se dicit Ecclesia: non puto absurdum, si ea quae invenire possumus in scripturis divinis, proferamus in medium: ut quae sit umbra meli hujus, dignius & divinius agnoscat. Ait Jeremias in lamentationibus: Spiritus vultus nostri Christus Dominus comprehensus est in corruptionibus nostris: cui diximus, in

umbra ejus vivemus in gentibus. Vides ergo quomodo Spiritu Sancto permotus Propheta, vitam de umbra Christi praebet gentibus dicit. Et quomodo non vitam nobis praebet ejus umbra, cum & in conceptu corporis illius ad Mariam dicitur: Spiritus sanctus veniet super te, & virtus altissimi obumbrabit tibi? Si ergo obumbratio fuit altissimi in conceptu corporis ejus, merito umbra ejus vitam gentibus dabit. Et merito sponsa ejus Ecclesia sub meli umbra sedere concupiscit: sine dubio ut vitae, quae est in ejus umbra, particeps fiat. Reliquorum vero lignorum sylvae umbra talis est, ut qui sederit sub ipsa, sedere videatur in regione umbræ mortis. Sed adhuc ut magis ac magis planior reddatur locus, qui habetur in manibus: requiramus quomodo Apostolus dicat, legem umbram habere futurorum bonorum: & omnia quae vel de diebus festis vel sabbatis vel neomeniis scripta sunt, umbram esse memoret futurorum bonorum, in his scilicet quae secundum litteram gerebantur: & quomodo omnem veterum culturam exemplar & umbram pronunciet esse caelestium. Quod utique si ita est, ostenduntur sub umbra legis sedisse omnes quicumque sub lege erant, & umbram magis veræ legis habebant. Nos autem alieni sumus ab umbra eorum: quoniam non sumus sub lege, sed sub gratia. Sed quamvis non sumus sub umbra illa quam legis littera faciebat, sumus tamen sub umbra meliore. In umbra enim Christi vivimus inter gentes. Et est profectus quidam, de umbra legis venire ad umbram Christi: ut quia Christus est vita & veritas & via: efficiamur primo in umbra vitae, & in umbra vitae, & in umbra veritatis: ut comprehendamus ex parte, & in speculo ac in aenigmate: ut post haec sic incedamus per hanc viam quae est Christus, quo pervenire possimus in hoc, ut facie ad faciem comprehendamus ea quae prius quasi in umbra, & in aenigmate videramus. Non enim quis poterit ad illa quae vera sunt & perfecta pervenire, nisi prius desideraverit, & concupierit in hac umbra residere. Sed & Job omnem hominum vitam dicit esse umbram super terram: credo pro eo quod anima in hac vita velamento hujus crassi corporis obumbratur. Omnes ergo qui in hac vita sunt, necesse est in umbra quadam esse. Sed alii quidem sunt sedentes in regione umbræ mortis, hi profectus qui non credunt Christo. Ecclesia vero cum fiducia dicit: In umbra sponsi concupivi, & sedi: quamvis certè fuerit tempus, quo potuerit quis sub umbra legis residens defendi à duritia arboris & aestus. Sed transit illud tempus. Veniendum est nunc ad arboris meliæ umbram: & quamvis diversa quis utatur vita, videtur tamen omnis anima (donec in praesenti vita est) umbram habere necessariam: propter illum credo ardorem solis, qui cum exortus fuerit, continuo semen quod non alta radice demersum est, arefcit & deperit. Sed hunc ardorem tenuerit quidem legis umbra propellit. Christi vero umbra, in qua nunc in gentibus vivimus: id est, incarnationis ejus fides, avertit penitus & extinguit. Ille enim qui adrebat ambulantes sub umbra legis tempore passionis Christi, sicut fulgur visus est cecidisse de caelo: quamvis etiam hujus umbræ tempus in fine saeculi compleatur: quia, sicut diximus, Post consummationem saeculi, jam non per speculum nec in aenigmate, sed facie ad faciem videbimus veritatem. Simile esse puto & illud, quod scriptum est: Sub umbra alarum tuarum exultabo. Sed & in sequentibus hujus libelli ita dicit sponsa: Fraternalis meus mihi, & ego illi ipsi, qui pascit inter lilia, donec respiret dies, & amoveantur umbræ: edocens per hoc, quia venit tempus, cum omnes umbræ removebuntur, & per misericordiam Dei patebit veritas sola. Sed & quod ait: Et fructus ejus dulcis in faucibus meis: illius animam hoc credo dicere, quae nihil emortuum, nihil insensibile habet in faucibus suis: & in nullo prorsus similis est illis, de quibus dicitur: Sepulchrum patens est guttur eorum. Quicumque enim verba mortis, & interitus de faucibus proferunt, ipsorum fauces sepulchra dicuntur: sicut sunt omnes qui vel contra veram fidem loquantur, vel contra disciplinam castitatis, & justitiae, & sobrietatis aliquid proferunt. Ipsi ergo sunt, quorum fauces sepulchra sunt, & loca mortis, unde mortis verba proferunt. Justus autem dicit: Quam dulcia faucibus meis eloquia tua. Et alius qui verba vitae docebat, ita dicit: Os nostrum patet ad vos ó Corinthii: cor nostrum dilatatum est. Sed & alius qui Verbo Dei aperuit os suum, inquit: Os meum aperui, & attraxi spiritum. Introducit me in domum vini. Sponsa verba adhuc sunt, sed ad amicos & familiares sponsi. (ut arbitor

diriguntur, à quibus videtur exposcere ut introducant eam in domum laetitiae, ubi vinum bibitur, & epularantur. Quae enim jam viderat cubiculum regium, desiderat etiam nunc regale introire convivium, & frui vino laetitiae. Suprà jam diximus amicos sponsi Prophetas, & omnes qui ministraverunt Verbum Dei ab initio saeculi, intelligendos: ad quos rectè vel Ecclesia Christi, vel anima Verbo Dei adherens dicat, ut se introducant in domum vini: id est, ubi sapientia miscuit in cratere vinum suum, & deprecatur per servos suos, omnem insipientem, & egentem sensu, dicens: Venite, manducate panes meos, & bibite vinum quod miscui vobis. Ista est domus vini domusque convivii, in quo convivio omnes qui veniunt ab Oriente & Occidente, recumbent cum Abraham, Isaac & Jacob in regno Dei. Ad quam domum, & ad quod convivium, Propheta perducunt animas, quae tamen eos adiunt & intelligunt. Sed & sancti Angeli caelestique virtutes quae in ministerio mittuntur, propter eos qui hereditatem capiunt salutis. Istud est vinum cui scribuntur isti psalmi, qui pro torcularibus articularunt. Istud est vinum ex illa vite vindemiatum, quae dicit: Ego sum vitis vera: quod expressit pater caelestis agricola. Istud est vinum quod attulerunt illi palmites, qui in Jesu permanferunt: non solum in terris, sed etiam in caelis. Sic enim audio illud quod dicitur: Quia omnis palmas qui non manet in me, non potest afferre fructum. Nemo enim producit fructum vini hujus, nisi qui permanet in verbo, & sapientia & veritate & justitia & pace, omnibusque virtutibus. Istud est vinum, quo etiam inebriari iustus, & sanctis quibusque optabile ducitur. Haec puto & in spiritu jam tunc Noè contams, inebriatus esse dicitur. Et David admiratus hujus convivii calicem dicit: Et poculum tuum inebrians quam praeclarum est. Ad hanc ergo domum vini, Ecclesia vel anima unaquaque desiderat, quae perfecta sunt, intrare, & dogmatibus sapientiae mysteriorumque scientiae, epularum velut suavitate & vini laetitia perfui. Sciendum sane est, quia sicut est istud vinum, quod de dogmatibus veritatis pressum commiscetur in cratere sapientiae: ita est contrarium vinum, cum inique inebriantur peccatores, & hi qui falsa scientiae dogmata perniciose suscipiunt. De quibus Salomon in Proverbiis dicit: Hi autem edunt cibos impietatis, vino autem iniquo inebriantur. De hoc eodem vino iniquo etiam in Deuteronomio legimus ita scriptum: Ex vineis Sodomorum vitis eorum, & palmes eorum ex Gomorra. Uva eorum uva fellis, & botrus amaritudinis eis. Furor draconum vinum eorum, & furor eorum aspidum insanabilis. Illud autem vinum quod de vite vera procedit, novum semper est: semper enim per profectus dilectationum, scientiae & sapientiae divinae innovatur agnitio. Et ideo dicebat Jesus discipulis suis: Quia novum bibam illud vobiscum in regno patris mei. Innovatur enim semper agnitio secretorum, arcanorumque revelatio per sapientiam Dei: non solum hominibus, sed & angelis caelestibusque virtutibus. Ordinate in me charitatem! Eiusdem sponsae ad eosdem verba sunt, nisi quod possunt fortasse etiam Apostoli Christi inter eos haberi, ad quos ista memorantur. Quod ergo ait: ordinate in me charitatem, hunc habet sensum: Omnes homines amant sine dubio aliquid: & nullus est qui ad id etatis venerit, ut amare jam possit, & non aliquid amet: sicut etiam in praefatione hujus operis sufficienter ostendimus. Sed hic amor vel haec charitas in nonnullis quidem in suo ordine & convenienter aptata procedit, in plurimis vero contra ordinem. Dicitur autem contra ordinem esse in aliquo charitas, cum aut id diligit quod non debet: aut quod debet diligit, sed plus justo diligit, aut minus justo. In istis ergo inordinata esse charitas dicitur: in illis vero (quos valde paucos arbitror esse) qui scilicet per viam vitae incedunt, & non declinant neque ad dexteram neque ad sinistram: in ipsis solis ordinata est charitas, & ordinem suum tenet. Est autem ordo ejus, & mensura hujusmodi. Verbi gratia: Deum diligere, nullus modus, nulla mensura est: nisi haec sola, ut ei totum exhibeas quantum habes. In Christo enim Jesu diligendus est Deus ex toto corde, & ex tota anima, & ex totis viribus: in hoc ergo nulla mensura est. Diligere vero proximum, est mensura aliqua. Proximum, inquit, tuum dilige sicut teipsum. Si ergo aut in Dei dilectione minus aliquid feceris quam potes, & quam in viribus tuis est: aut inter te & proximum tuum non servaveris aequitatem, sed aliquid differentiae habueris: non est in te charitas ordinata, nec ordinem suum tenens. Verum quoniam nobis sermo de ordine charitatis est, diligentius per singula requiramus, vel quos diligi, vel quan-